

illorum qui suo depravati arbitrio, ad memoratas virtutes nunquam aspirare consentiant.

CAPUT XIV.

Itaque rex Pipinus Magni Caroli genitor quemdam suum clericum, qui Bruncho vocabatur, impuris obsessum spiritibus, per Hellarium archidiaconum ad tumulum beati Maximini destinavit. Is per diversas reliquorum sanctorum fuerat circumductus memorias, nec illa horribili passione meruerat liberari. Porro ut beati viri limina tetigit, illico purgatus, Dei circa se clementiam glorificare et sancti Maximini potentiam cœpit prædicare. Idem Pippinus denuo Hericum genere Alamannum eadem passione laborantem qua supra direxit : quem cum catena vinxissent, eamque perfacile alienis viribus confregisset, vix altera cohibitum clarissimo confessori obtulerunt curandum. Ita diu fratribus pro miserieptione certantibus, quadam die, cum rem divinam agerent, ille confracta catena prorupit se ad tumulum sacri antistitis; et : « Non videtis (inquiens) adversarios qui me sibi vindicaverant ut in fugam versos beatus Maximinus persequitur. » Illic ei finis processit 290 insanie. Ejusdem Pippini regis ex filia nepos, nomine Cunibertus, atrociter a dæmone vexatus, multis ante locis circumcisis, ultimo ad sanctum virum perductus, tandem ab ea peste purgatus est.

CAPUT XV.

Et ut a singulis ad turbam liberatorum transeamus, quondam ad festivitatem beati pontificis (siquidem

A tunc majorem solito depromit potentiam) triginta septem homines oppressi a dæmonibus confluxere, qui omnes eodem die curati sunt. Ex eorum numero feminam illam fuisse accepimus quæ ferebatur quadraginta septem annis polluto subjecta spiritui. Hac tandem tam diutina exclusus possessione, ipse vero cruciandus igni, simulatum oculis astantium objecit incendium, ita ut putaretur tota domus conflagrare; ac digno se odore, hoc est sulphureo, templum respersit. Jam speciosa suæ præsentis meritique monumenta præclarus ille angelus dereliquit. Sequenti anno, eadem solemnitate, viginti et duo mundati sunt. Porro tertio anno tredecim a sancti viri cœnobio salutis gaudia retulerunt.

B His, ut arbitror, legere volentes satis superque instruximus quam efficax in sacratissimo viro pelendi spiritus perditos sit gratia et emineat semper potentia. Cæterum si velimus et ac et multiplici aliarum virtutum specie quoties floruerit usque ad hunc annum, quo scribimus, hoc est, ab incarnatione Domini octingentesimum tricesimum nonum, styli officio designare, nec modum libri tenebimus, 291 et erudito lectori minus erimus grati, dum similia frequenter narrabimus. In fine igitur nostri opusculi in commûne beati Maximini clementiam flagitemus, ut qui subinde ab aliis infirmitates depulit corporum, multo magis liberare nos dignetur a languoribus animarum, ostendens etiam in hac parte quantum prævaleat; quo nunc peccatorum veniam consecuti, quandoque illius gloriam conspiciere, gaudentes etiam propria sorte, mereamur. Amen.

292 a VITA SANCTI WIGBERTI

ABBATIS FRITZLARIENSIS

AUCTORE SANCTO LUPO

Reverendissimis (b) abbati Buno, cunctisque fratribus ejus, Lupus plurimam sospitatem.

Cunctanti mihi, viribusque propriis diffidenti, ut vitam sancti Wigberhti stylo conerprosequi, vestra, dilecti patres, extorsit instantia. Et æquum fuerat ut in obstinatissima negatione persisterem, quando ad id quod me imparem tantæ materiæ tenuitas deficit ingenii accessit ut hoc opus a vobis eo potis-

(a) Hanc sancti Wigberti Vitam debemus erudito viro Joanni Busæo, presbytero e societate Jesu, qui illam anno 1602 Moguntis edidit cum epistolis Hincmari.

(b) Abbati Buno. Sive Bruno, qui per eas tempestates monasterium Herveldense regebat, obiitque anno 846, ut scribit Lambertus Schafnaburgensis, qui prius fuerat monachus Herveldensis. « Brun, inquit, abbas Herveldensis obiit, cui Brunwart successit. » Antea autem, una cum Rabano abbate Fuldensi inchoaverat ædem sancti Wigberti apud Herveldiam, ut idem Lambertus tradit ad annum 831. « Brun et Raban abbates fundamentum ecclesiæ

simum tempore quo essem occupatissimus peteretur, ni me charitas, remotis gravissimis necessitatibus meis, ut vestræ voluntati morem gererem compulisset. Siquidem huic qui parcat, suis neglectis, interdum fraternis prospicit commodis. Igitur succubui vestro imperio. Cæterum divinæ erit clementiæ et intercessionis beati viri, cujus gesta ex aliquo parte contingere statui, ut digna memoria digno sermone

sancti Wigberti foderunt vi Idus Julii, secunda feria. » Infectam eam reliquit Bunus : quam postea perfectam Rabanus, ex abbate archiepiscopus Moguntinus, dedicavit anno 850, ut fidem facit idem auctor : « Dedicata est, inquit, ecclesia sancti Wigberti vi Kal. Novembr. a Rabano Moguntiacensi archiepiscopo. » Bunus autem, ut id quoque dicamus, clarissimis natalibus ortus erat in Suevia, monachusque primum sub Bangolfo abbate fuerat in monasterio Fuldensi, et anno 838 interfuit dedicationi monasterii Hirsaugiensis, ut docet Trithemius. Non injuria ergo Vitam istam Buno abbati et monachis Herveldensibus inscripsit Lupus.

scribantur et quæ clarissima sunt qualitate suis sensibus incultis deformata non horreant. Nec vero cuiquam hæc ideo judicentur infirma quod octingentesimo trigesimo sexto anno Dominicæ incarnationis, indictione autem quarta decima, 293 præsens opusculum cudens, ante nonaginta annos acta repetere videar, cum profecto, si vel leviter est eruditus, non ignoret Sallustium Crispum Titumque Livium non pauca quæ illorum ætatem longe præcesserant partim auditu, partim lectione comperta narresse, et, ut ad nostros veniam, Hieronymum Pauli sui Vitam, quæ certe remotissima fuerat, litteris illustrasse, et antistitem Ambrosium virginis Agnes passionem, cui profecto contemporalis non fuerat, editam reliquisse. Neque nova hæc est, et quæ sola deprecationis egeat, majorum negligentia, scilicet tanti viri facta non esse mandata memoriæ, cum non ab his modo qui haud longe ante nos vixerunt, verum ab eis etiam qui quam longissime præcesserunt, gravissima quædam suppressa cognoscamus. Præinde cur mihi fides derogetur non video, cum, si culpa fuit hactenus virtutes hujus eximii viri litterali non comprehensas officio, ac profecto me exuo, nihil que præterquam firmissime vobis comperta mihi que quodammodo assignata legere volentibus præbeo. Id autem a periti benevolentia lectoris obtinuerim, ut sicubi Latini sermonis lenitas hominum locorumve nominibus Germanicæ lingue vernaculis asperatur,

(a) *Sed historiam.* « Historia enim quoquo modo scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi, et quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur. » (Plinius, lib. v, *epist.* 8.)

(b) *Indigenas.* Habita videlicet ratione præsentium temporum, et quia ævo Lupi Latinæ lingue puritas multum descenderat. Alioqui enim indigenæ hi sunt qui ante omnem hominum memoriam certis in terris habitaverunt, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitibus mixti sunt, ut monuit Tacitus in libello de Moribus Germanorum. Et in Agricola, ubi loquitur de Britannia, indigenas opponit advectis. Itaque si stricto jure agamus, Anglo-Saxones non erant indigenæ, sed advecti. Classibus enim advecti erant, ut patet ex Beda et cæteris scriptoribus Anglis.

(c) *Wrtigernus.* Cum undique a cælo, et ab Oceano, tum etiam a terra, nimirum a piratis et prædonibus, gravissimis malis affecti essent Britanni, « Placuit omnibus (inquit Beda lib. i Hist. Angl., cap. 14.) cum suo rege Vortigerno, ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent, quod Domini nutu dispositum esse constat, ut veniret contra improbos malum, sicut evidentius rerum exitus probavit. »

(d) *Consistendi loco.* Hic Lupus transcripsit Bedam, cujus ea sunt verba in capite 15 ejusdem libri: « Anno ab incarnatione Domini quadringentesimo quadragésimo nono, Martianus cum Valentiniano quadragésimus sextus ab Augusto regnum adeptus, septem annos tenuit. Tunc Anglorum sive Saxonum gens, invitata a rege præfato, Britanniam tribus longis navibus advehitur, et in orientali parte insulæ, jubente eodem rege, locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura, suscepit. Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsere Saxones. Quod ubi domi nuntiatum est, simul et insulæ fertilitas, ac segnitia Britonum, mittitur confestim illo

modice ferat, ac meminerit non carmen me scribere, ubi poetica licentia nonnunquam nomina mutilantur, atque ad sonoritatem Romani diriguntur eloquii, vel penitus immutantur, (a) sed historiam, quæ se obscurari colorum obliquitatibus renuit. Verum jam propositum ordiamur.

294 CAPITULUM PRIMUM.

Qualiter Saxones facti sint incolæ Britannicæ insulæ.

(b) Indigenas Britannicæ, qui Angli-Saxones appellantur, ab eis qui Germanicæ septentrionalem tractum incolunt Saxonibus originem ducere documentis approbatur. Namque Britannorum quondam rex (c) Wrtigernus frequenti bellorum incendio, suis pene copiis interceptis, a Germania consensu popularium suorum contrahenda curavit auxilia; accersitque ab eo Saxonum exercitus, trajecto mari quod Gallicæ Britannicæque pretenditur littoribus, (d) consistendi loco in orientali partem insulæ a præfato rege accepto, prælium mox cum (e) adversariis conseruerunt et eos fuga impune fuderunt. Quod ubi suis ac simul ubertatem insulæ nuntiarunt, (f) validior manus armatorum illuc denuo missa est; ac sedes a Britannis ea conditione sortiti sunt ut illi quidem tuendæ patriæ solertius invigilarent, indigenæ autem stipendia militantibus penderent. Hac occasione magnam partem insulæ Saxonum vis brevi spatio temporis propriæ ditione subegit.

classis prolixior armatorum, ferens manum fortio-rem, quæ præmissæ adjuncta cohorti, invincibilem fecit exercitum. Susceperunt ergo qui advenerant, donantibus Britannis, locum habitationis inter eos; ea conditione, ut hi pro patriæ pace et salute contra adversarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent. Advenerunt autem de tribus Germanicæ populis fortioribus, id est Saxonibus, Anglis, Vitis. Hactenus Beda. Prosper tamen, vir illorum temporum, non advocatos ait Saxones, sed tantum, « Britannias usque ad hoc tempus variis cladibus eventibusque laceratas, in ditionem Saxonum redactas esse » decimo octavo anno imperii Theodosii Augusti. Quæ verba dicere videntur Saxones vi Britannia potitos esse, et confirmant scriptionem Galfridi Monumetensis, qui memoriæ prodidit Saxones applicuisse in Cantiam, ad Vortigernum accessisse, invitatosque adversus Pictos, victoriam Vortigerno peperisse.

(e) *Adversariis.* Id est Pictis, qui ob istam occasionem bellum Vortigerno intulerant, ut in libro vi, docet Galfridus Monumetensis. Vortigernus, nobilis Britannus, postquam Constantem ex monasterio abductum in throno collocaverat, occultis artibus ejus eadem procuravit: quæ peracta est a Pictis, quos ad custodiam principis evocaverat Vortigernus. Remoto Constante, Vortigernus regem se fecit; et tanquam particeps non fuisset cædis Constantis, custodes Pictos interfici jussit, munimento in præsens, exemplo in futurum. Id graviter et iniquo animo tulerunt Picti; gravissimumque ea de causa bellum excitarunt adversus Vortigernum, dum suorum cædem ulciscuntur. Sane fortuna pro Pictis stetit; donec advenientes, ut diximus, Saxones, afflictas Vortigerni res restituerunt.

(f) *Validior manus.* Decem et octo naves electis militibus plenas tum esse conductas narrat Galfridus lib. vi, cap. xii.

295 CAPUT. II.

De ortu sancti Wigberhti, et quod ob studium virtutum amatus fuerit ab omnibus in partibus illis.

Ab horum posteris, postquam se Christianæ religioni submiserant, beatus Wigberchtus, ab Anglis Saxonibus elaram trahens originem, natalium sæcularem nobilitatem merita virtutum longe transcendit. Ab annis etenim puerilibus adeo probitate morum enituit uti jam tum palam emerit fore ut tanta indoles magnum quiddam supraque communem prorsus mensuram divinitus, ut contigit, sortiretur; atque studiose sacris litteris institutus, ardentissimum amorem, nec minorem sane venerationem longe lateque gravitate sibi peperit singulari.

CAPUT. III.

De fama et honore illius, et brevis commemoratio sanctitatis et martyrii sancti (a) Bonifacii.

Dumque felix illius ubertim spargeretur opinio, ad clarissimi viri Bonifacii aures usque nutu divino pervenit. Hic Bonifacius tantæ sanctitatis exstitit ut eum consensus omnium, non in Germania modo, ubi in agro dominico incertum studiosius an felicius, laboravit, verum etiam in Gallia et in aliis partibus orbis majorum per omnia gloriæ coequandum et constantissime credat et liberrime 296 fateatur. Fuit enim fidei Christianæ cum propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus, nesciens aucupari favorem principum fœdissimis adulationibus, nec honorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac male dulcoratis refrigeriis

(a) *Bonifacii*, archiepiscopi Moguntini, cujus multa mentio apud scriptores illius ætatis.

(b) *Enervare*. Hic Bonifacium laudat Lupus, quod auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permiserit, eamque violari non consenserit a principibus. inter quos dis versatus est. Unde colligimus legitimos Lupo fuisse visos actus eorundem principum, quorum mentio est in epistolis Bonifacianis. In epistola porro tertia agnoscit Bonifacius nullam se muneris sui partem attingere posse (erat autem legatus apostolicæ sedis), absque auctoritate Caroli Francorum principis. In epistola 42 auctoritatem congregandi synodos pertinere ad unumquemque principem in suo regno; ideoque synodum quamdam quæ a Pippino convocata fuerat, vocat *synodum ducis occidentalium provinciarum*. In epistola 132 ait cupere se quidem sibi successorem constituere, verum id non posse fieri absque voluntate principis: *Quia hoc, inquit, non videtur posse fieri, si contrarius princeps fuerit.*

Martyrii coronam. Factum id in Frisia, ubi verbum Dei prædicabat, anno 754.

(d) *Arcessendum*. Ax Anglia videlicet, ubi abbas honore fungebatur. Nam Wigbertum istum haud alium fuisse puto quam eum qui abbas fuit monasterii Nutscellensis in Anglia; sub quo Bonifacius monasticam vitam aggressus est, ut docet Wilibaldus presbyter in capite secundo de Vita ejusdem Bonifacii. « Cumque voto simul et mente, inquit, Omnipotentis sibi adesse incessanter magna precum instantia suffragium postularet, tandem, divina cœlitus inspirante gratia, ad monasterium quod usque hodie *Nutscelle* dicitur pervenit; et beatæ memoriæ Wigberti abbatis, qui venerabiliter predictum sub regulari disciplina regebat monasterium, spiritali litterarum diligentia provocatus elegit magisterium, » etc.

A (b) enervare. Ita, postquam se totum Deo devoverat, desudantem, novamque gentem Fresonum Ecclesiæ gremio consciscentem, invictissimum Christi militem gladio violare non verita rabies barbarorum, (c) martyrii coronam fecit referri de prælio. Sed ut a quo paululum deflexit ad propositum revertatur oratio.

CAPIT. IV.

Quod ab eodem Bonifacio in auxilium prædicationis sit vocatus.

Idem Bonifacius, cum induisset in animum incredulis aperire viam salutis, quique aberrassent in eam, cooperante Deo, reducere, non multo postquam in Germaniam venerat, beatum Wigberchtum, futurum in prædicatione solatio, diligenti (d) arcessendum curavit industria. Atque ille sancto Bonifacio, imo Deo parens vocanti, quo tempore dux Francorum Carolus rerum potiebatur, iniit consortium sancti propositi. Quem beatus Bonifacius, ut par fuit, et excepit gratissime, et germana sibi charitate fœderatum summa veneratione suspexit, quod, ut natu major, ille studiis flagrasset ante divinis.

297 CAPIT. V.

Quod monachis in Frideslar abbas sit constitutus.

Neque multo post ad amplissimum pontificalis gradum dignitatis Moguntiaci divina gratia proventus Wigberchtum sacerdotem (e) secundi ordinis cœnobio suo, cui nomen est gentili Germanorum lingua (f) Friteslar, magistrum præfecit, uti mona-

C Tantam perro lætitiâ ex adventu Wigberti ex Anglia in Germaniam cepit Bonifacius, ut cum appropinquare eum intellexisset, obviam ei progressus sit ad multa passuum millia, ut ipse Wigbertus scribit in epistola ad monachos Glestingaburgenses, quæ est quinquagdsima tertia inter Bonifacianas. Ex qua etiam illud discimus matrem Wigberti vocatum fuisse Tettan.

(e) *Secundi ordinis*. Id est presbyterum. Neque enim assentior Christophoro Browero, qui in scholiis ad poemata Rabani adnotavit episcopatus Buri-burgensis procuracionem Wigberto demandatam esse a Bonifacio. Idque colligit ex eo Lupi loco, in quo Wigbertus vocatur sacerdos secundi ordinis, sacerdotem autem secundi ordinis eum esse qui alibi suffraganeus vel vicarius episcopi et archidiaconus dicitur: in quo errare Browerum adeo manifestum est ut necessarium non arbitrer his diutius immorari. Videndus tantum vir illustrissimus Petrus de Marca lib. II de Concordia Sacerd. et Imp., cap. 44, § 5. Lupi autem sensus hic est, Wigbertum, qui jam sacerdos erat secundi ordinis, id est presbyter, abbatem a Bonifacio constitutum fuisse in monasterio Friteslariensi. Nisi si Lupus abbatem vocat secundi ordinis sacerdotem, eumque qui jam abbas erat præfectum ait huic monasterio a S Bonifacio, quod facile crediderim.

(f) *Friteslar*. Celebre monasterium in Marca Saxonæ, ad fluvium Adranam, conditum a sancto Bonifacio, velut munimentum adversus Saxones, implacabiles Hassonum hostes, et inimicos crucis Christi. « Apud Friteslarium porro, » ut adnotat Browerus in Scholiis ad poemata Rabani, primitiæ collectæ Hassonum Ecclesiæ: qui populi, ante Saxones, cum Thuringis ad fidem Christianam conversi, et in limite regni adversus Saxones, externos hostes, col-

sticæ illic religionis normam statumque componeret. Ibi cum (a) Megingo suo, qui postea culmen episcopale subiit, diu conversatus est, et laxam antehac ac fluidam fratrum conversationem ad normam suæ vitæ coercuit, qui procul dubio sanctarum Scripturarum regebatur auctoritate.

CAPIT. VI.

Quod ad (b) Ortdorff jussu sancti Bonifacii transierit.

Cumque sacræ professionis illic studium longo imbibissent usu discipuli, curamque magisterii quamplures, æmulando magistrum, concepissent, haudquaquam passus beatus Bonifacius tanti viri lumen unius loci tenebras prævia Christi gratia dispulisse, monitu paterno ad alterum compulit migrare monasterium, quod Ortdorff uominatur. Atque ibi successu simili desudans, quæ perperam gerebantur correxit; ac ipse absque diverticulo carpens arctam viam, quæ infatigabiles quosque ducit ad vitam, cæteram post se fratrum prospere traxit, Instructus enim Salvatoris exemplo, docenda prius implebat (Act. 1); quaque gradiendum moneret, præcedere consueverat.

CAPIT. VII.

Quod, iterum ad Frideslar reversus, arctiori se vitæ dederit.

Itaque non frustra illic tritis aliquot annis, cum præter id quod senio gravabatur, ancipiti morbo subinde laboraret, nihil citra sancti Bonifacii gerere volens auctoritatem, enixissimis ab eo precibus, intima tamen humilitate conditis (c) obtinuit ut ad prius revertens cœnobium, in eo quod superesset vitæ jam quasi feriatu exigeret. Ubi gratulantium fratrum receptus frequentia, veluti repuerascens atque juvenescens, rudimenta denuo sanctitatis et arctissimi certamina propositi diligenter aggressus, non emeritam ætatem non tot superatos labores metiri consensit; verum oblitus præteritorum secundum Apostolum (Philip. III), gaudiis intendit æternæ beatitudinis, quorum adipiscendæ dignitati nihil par in hac vita valet expendi. Et quamvis corpus illius morbo, sicut diximus, urgeretur, non patiebatur animus huic lautioris indulgentia sibi abstinentiæ frena relaxare. Non quod, si qui remissius consulant sibi, dum infirmantur, hos arbitraretur culpandos; sed quod sponte a licitis temperando, ad promerendum Deum non parum quemlibet

locati, ut a sancto Bonifacio ejusque discipulis impigre exulti sunt, ita Francico imperio militiæ strenuam operam navarunt. »

(a) *Megingo.* Monacho tum Frideslariensi, postea vero Herbipolensi seu Wirzeburgensi episcopo post Burchardum. Fuerat autem, ante episcopatum, abbas monasterii Neustadiensis ad Mœnum, ut observat Nicolaus Serarius in notis ad epistolas Bonifacii Moguntini. Assentior vero eidem Serario, qui Magingaoz, sive Megingum, eum esse putat qui alibi vocatur Megingozus, Mengozus et Megingandus. Ei et Lullo Moguntino Vitam Bonifacii inscripsit presbyter Wilibaldus. Hujus episcopi Herbipolensis exstant epistolæ tres ad Lullum archiepiscopum Moguntinum, editæ inter Bonifacianas, num. 80, 87 et 94.

progređi suo Vas electionis confirmavit exemplo. Sicque observantissimus charitatis, fratrum se contemperabat societati; ut verbis tamen inanibus obstinatissime abstineret, ac sacræ legis meditationem nunquam mente deponeret.

CAPIT. VIII.

Quod postulas, non præstolando comites, visitaret ægrotos.

Hæc vero semper Wigbercto illi sollemnis fuerat consuetudo ut cum a fidei aliquo rogatur confessionem auditum pergeret, nec vitam congressus comitantium posset, non temere cum aliquo sermonem consereret, salutationibusve vacaret (quæ profecto, ut eleganter quidam sentit, nonnunquam ex occasione itineris, non studio funduntur obtinendæ cujusdam salutis), sed hinc speciale præceptum Domini retinens, seria salutis monita largiturus, morarum festinaret impatiens. Ac sicubi conventum hominum offenderat, qui salutaribus indigeret consiliis, continuo, posthabitis temporalibus, quæ ad animæ perpetuam salutem conducerent ad medium deducebat; et variis alliciens legis divinæ sensibus auditores, ut scientissimus omnino medicus, animæ passionibus medebatur occultis.

CAPIT. IX.

De vite miræ magnitudinis ab eo ex uva plantata.

Illud etiam haudquaquam præterierim silentio, unde constantissima fama fidelium nec accita se suggerit. Namque dum quondam rem divinam de more faceret, incertum quo casu, vinum, sine quo sanguis Domini non conficitur, defuit. Hic ille festinus ecclesiam egressus, et forte pendentem in vite botrum conspicatus, vellit, atque in calicem continuo liquorem manibus puris expressit. Quibus demum explicitis, unum reperit granum attritu illæsum: quod mox ante ecclesiam panxit, et e vestigio ad conceptum officium peragendum concessit. Eo finito, quidam sollicitior frater, qui quod paulo ante gesserat observasset, ex eo humiliter facti rationem quæsivit. Tunc ille se deprehensum animadvertens: Si, inquit, opera mea Domino cura sunt, intra novem annorum curriculum hic nimirum declarare dignabitur. Nec finem hujusmodi qui credebatur eventus non est consecutus. Siquidem tot ex eo grano vitium propagines emerserunt ut brevi occupato immodico terræ spatio, nixæque adminiculis

(b) *Ortdorff.* Insigne monasterium in Thuringia, ad amnem Or, V. M. P. ab Erfurt, ut in Topographia Germaniæ monuit Georgius Bucelinus. Conditum autem fuit a sancto Bonifacio, ut in ejus Vita scribit Wilibaldus cap. 8. his verbis: « Tunc etiam ecclesiæ repente instaurantur, et prædicationis ejus doctrina multiformiter emanavit; monasteriumque, congregata servorum Dei unitate et monachorum sanctitate, constructum est in loco qui dicitur Ortdorff, qui propriis sibi more apostolico manibus victum vestitumque instanter laborando acquisierunt. »

(c) *Obtinuit.* Quippe monasterio abscedere non licebat absque permisso episcopi, præsertim ei qui abbas esset. Itaque ministerium suum relicturus Wigbertus, licentiam recedendi petiit a Bonifacio.

suo lapsu sedentibus gratissimæ porticus tecta præberent.

301 CAPIT. X.

Quali fine mundum reliquerit.

Perseveravit autem beatus Wigberchtus in præfato monasterio divinis ministrans præceptis, obliquosque semper aversatus mores, quoad illum divina vocatio vinculis carnalibus liberaret. Sic graviore præcedente languore ad præsentio vitæ metas perveniens, (a) diem obiit, consorsque sanctorum effectus est.

CAPIT. XI.

Quod avis pulcherrima super corpusculum ejus apparuit.

Verum hora exitus illius admirationis plena res obtigit. Circumstantibus fratribus, visa est avis quædam, specie pulcherrima, supra ejus corpusculum ter advolasse, nusquamque posthæc comparuisse, quam fuisse indicium vitæ illius mundissimæ cunctis haud dubie constitit.

CAPIT. XII.

De multiplicibus signis ad tumulum illius patris.

Est autem situm corpus illius ante ecclesiam in conditorio (b) nullius ambitionis, ibique per aliquot annos quievit, ubi vix credibile fuerit quot 302 quantisque hunc virum divina pietas illustraverit signis; quæ, licet incuria litteris allegata non teneantur, passim tamen vulgata, necdum obsolescere. Atque ideo, brevitati studens, horum quædam narabo. Meaque plane sic fert opinio longe digniora miracula semper esse quæ Deus ad memoriam sanctorum egentibus indulgere dignatur quam quæ illum per eos, quanquam sincere viventes, adhuc gravatos mole corporis, frequenter gessisse veraces nobis litteræ produnt. Adhuc tentari poterant ac quantulumcunque reformidare lapsus. De his totius jam casus expertibus hoc felicius quo solidius asseruntur. In illis favores non sine discrimine tolerantur humani; in his, cum eduntur, titulus eorum sanctitatis ne suspicione quidem vanæ gloriæ obscurari potest.

CAPIT. XIII.

Quod metu Saxonum Hassones corpus ejus effoderint.

Verum ut quod polliciti sumus jam exsequamur, effera Saxonum gens, proprium transgressa limitem, in finitimorum se agro effuderat, et indigenas non satis fidentes propriis viribus in oppidum cum (c) Buriburch nomen est formidine sui compulerat. Qui conclusi, judicantes adhuc infirmum tenui murorum

(a) *Diem obiit.* Anno 747 ut tradit Laubertus Schafnaburgensis. Post ejus transitum Bonifacius epistolam scripsit ad Tatwinum abbatem et præcipuos monasterii Friteslariensis monachos, quæ est decima septima inter Bonifacianas, in quæ præcipit quonam modo gubernandum sit monasterium. Inter eos vero ad quos scribit nominatur Wigberthus presbyter; cujus, ut arbitror, sunt epistolæ tres ad Lullum archiepiscopum Moguntinum inter Bonifacianas num. 83, 102, 140. Fallitur enim Serarius, qui epistolas illas scriptas putat a Wigberto abbate Friteslariensi. Hic enim multis ante annis obierat quam Lullus

instertitio salutem tueri, ossa beati viri ad sui munimentum in oppidum transferenda curarunt, præsertim quod vererentur ne Saxonum insania violandi sepulcri sumeret copiam. Nec tamen ea translatio facile volentibus constitit.

303 CAPIT. XIV.

De difficultate translationis ejusdem.

Namque comitante immani multitudine, cum in vallem non adeo depressam ventum esset quæ ex adversum est oppido, ibique sacros cineres, paululum quieturi, deposuissent, ac mox quo cæperant contendere præpararent, mirabile dictu, gravatæ sunt quas hactenus detulerant reliquiæ, nec eas fuit loco moveri facultas. Hinc consternati, satiusque sibi ducentes extrema illic experiri quam in ancipiti patrum relinquere, tandem instantissimis precibus Domini sententiam flectentes obtinuerunt, ac feretro summa relevato facilitate, voto potiti sunt.

CAPIT. XV.

De candela in fluvium demersa.

Fuit hoc etiam insigne miraculum, quod dum flumen Adranam trajicerent, amplissimam reverentiam crucibus ac vexillis necnon cereis ac laudibus congruis beati viri reliquiis exhibentes, matronæ quidam rei novitate attonitæ candela e manibus excidit ac penitus in fluvium mersa est. Certatim vero pluribus annitentibus recepta, quod secundum contrariam elementorum naturam fidem videatur excedere, haud obscurius ac prius flammaram reperta est globum effundere. 304 Verum enimvero nos, qui juxta naturam fieri quidquid Dei fiat voluntate indubitanter confitemur, sic non cessisse ignem aquæ videmus credibile quemadmodum igni in illis tribus pueris humana non cessit natura (Dan. III).

CAPIT. XVI.

De eruptione oppidanorum et strage hostium.

Perlatis autem in oppidum beati viri pretiosis reliquiis, infesto Saxones agmine subsequi, cæperunt oppidanos lacessere, eosque summa vi munitione detrudere. At illi, facta eruptione, sancti Wigberchti suffragantibus meritis prosperrime congressi sunt; ac superiores inventi, plerosque adversariorum armis fuderunt profligaveruntque, multos plagis tardantes debilitarunt, omnes postremo salutem sibi coegerunt fugæ præsidio quærere.

CAPIT. XVII.

Quod cælestis visionis majestate Saxones (d) perterriti, fugiendo vitæ consuluerint.

Qua repulsa Saxones irritiores facti, et ignominia succederet Bonifacio.

(b) *Nullius ambitionis.* Id est modico, cujusmodi fuisse sepulcrum Ottonis imp. tradit Tacitus. Præclare Plinius lib. IX, epist. 19: « Impensa monumenti supervacua est. Memoria nostri durabit, si vita meruimus. »

(c) *Buriburch.* Oppidum in finibus Hassorum et Saxonum, ultra fluvium Adranam, contra Friteslarium, in edito montis jugo, ut monuit Browerus in scholiis ad poemata Rabani.

(d) *Exterriti.* Non accedo opinioni Broweri, qui hi-

niam suam fuge repetito certamine cupientes, ac victor prius victores ad unum delere, ipsa nocte cui tam credulis negotii dies elucere sperabatur, incredibili repente percussi formidine, fusa cœlitus clarissima luce ambiri conspiciantur ecclesiam cuius memoria jam supra facta est, et per illius culmen **305** insignem quemdam lineamentis quidem humani corporis circumscriptum, at valentiam dignitatemque mortalium longe præstantem, albis etiam vestibibus amictum, hac et illac deambulare Divino itaque nutu, et hujus visionis exterriti majestate, relictis impedimentis et omnibus aliis necessariis, vitæ tantum consulere festinantes, ad fugam se denuo contulere.

CAPIT. XVIII.

De divisione prædæ.

Mane igitur oppidum egressi qui clausi hostium impetum morabantur objectu murorum, ut eos abiisse, imo velut nudos cunctis vulgo dimissis effugisse compererunt, divinæ munificentiae gratulantes, adversariorum spolia viritim partiti sunt, inopinumque gaudium revexerunt.

CAPIT. XIX.

De homine paralyti perenni mulctato.

Neque ita multo post, cum iidem Saxones revertissent, instauraturi male toties experta certamina, unus eorum capit ignem, fomenta subjicit, ecclesiam conflagrare jam dictam molitur. Sed casso infectoque nisu, divina virtute per intercessionem sancti Wigberhti repulsus, conatibus vere sacrilegis digna retulit præmia, paralyti scilicet perenni **C** mulctatus.

306 CAPIT. XX.*De raptore sensu et visu privato.*

Eandem etiam domum quidam ex illis exspoliare conatus, defracta janua irrupit, crucisque argenteam laminam affabre inauratam rapuit profanisque manibus nequaquam efferre cunctatus est. At confestim divina ultio insecuta ita hunc reddidit impotem sui ut brutum magis animal quam hominem duceres. Sic cum lamina circa ecclesiam repertus oberrans, quod sciens male sublegerat, juste ne-

storiam istam putat distingui debere ab ea quæ exstat apud Reginonem. Ego namque censeo hic agi de ecclesia monasterii Friteslariensis, quam Saxones adhibito igne consumere tentarunt: quod patet ex **D** cap. 23, itemque ex aliis ejusdem Vitæ locis. Rem gestam narrat Regino his verbis: « Anno Dominicæ incarnationis 874, rex dum illis partibus (id est in Italia) pro hujusmodi negotio moram faceret, Saxones occasione accepta, postpositis sacramentis, in finibus Francorum impetum fecerunt, et usque ad castrum quod nominatur Buriaburg venerunt: quorum adventum incolæ loci persentientes, in jam dictam munitionem se receperunt. Igitur cum præfata gens sæviens cœpisset forinsecus villarum ædificia concremare, venerunt ad quamdam basilicam in loco qui dicitur Friedislar, quam sanctæ memoriæ Benifacius martyr consecravit, atque per propheticum spiritum prædixit quod nunquam incendio cremaretur. Cœperunt autem præfati Saxones omni in-

sciens reddidit. Sanctorum quoque reliquiæ, quas iidem asportaverant, in villa Gesmari, quæ non longe abest, repertæ sunt integræ.

CAPIT. XXI.

De ineffectiva potentia ignis.

Nec illud transierim, quod sæpedicti Saxones adhibito igni et multiplici fomite, amica sane igni materia frequenter inculcatam domum illius ecclesiæ comburere conati sunt; sed interventu beati Wigberhti delusa est illorum insania. Siquidem tantum abfuit effectus ab eorum molitione ut præter in subjecta fomenta nil ignis ille valuerit quem furens manus adhibuerat barbarorum. Videres lignorum simplicem materiam, nec prorsus alumine oblitam, velut amoliri a se ignis potentiam, et cui **B** prius esset obnoxia Dei voluntate vim resistendi inditam sibi ostentare mirantibus.

307 CAPIT. XXII.*Quod ecclesia ipsa nullis squaloribus maculari valuerit.*

Saxonum post discessum pars haud exigua Hassonum (Hassones quippe dicuntur qui incolunt ipsum pagum) mundatum ecclesiam convenere, sordere illam quam gravissime ferentes, propterea quod Saxones equorum in ea præsepia fecerant, nihilque religioni detulerant. Verum introgressi nihil penitus quod esset verendum inveniunt. Ita sordium squalorum divina virtus detererat. Nulla usquam vestigia immunditiæ totius resederant.

CAPIT. XXIII.

Hæc obtigerunt circa ecclesiam ante quam monumentum illius diu mansisse monstravimus. Cæterum postquam in oppidum ossa illius transposita sunt, ut ungueutum pretiosissimum, quando est agitatum, gratissimos late spargit odores, ita viri hujus motæ reliquiæ ubertim miraculorum spiravere fragrantiam. Aperuit nimirum verus arbiter et intimus, labefacta jam humana conditione membrorum compage, cui quondam hæc regens beati Wigberhtii paruerit spiritus, dignatus eum frequenter intra biduum triduumve collatione novem signorum.

tentione certare adversus eandem basilicam quemadmodum eam per quodlibet ingenium igne cremare potuissent. Et dum hæc agerent, apparuere quibusdam Christiunis qui erant in castello, simul quibusdam paganis qui in eodem erant exercitu, duo juvenes in albis vestimentis, qui ipsam basilicam ab igne protegebant; et propterea non poterunt neque interius neque exterius ignem accendere. Interea nutu divino majestatis pavore perterriti, in fugam conversi sunt, nemine persequente. Inventus est autem postea unus ex eisdem Saxonibus mortuus juxta ipsam basilicam, flexis genibus, acclivis supra pedes, habens ignem et ligna in manibus et velut ore flaret ipsam basilicam cremare. » Eandem historiam narrant auctor Vitæ Caroli Magni, auctor Annalium Fuldensium, Eginhardus in Annalibus. Marianus Scotus, alii. Ejus vero paucis meminit Lambertus Schafnaburgensis.

308 CAPIT. XXIV.

Quod ex cœlesti admonitione corpus ejus ad monasterium Herolfesfeldi sit perductum.

At interjectis aliquot annis (a) Albuino præsuli Fritislarensis ejusdem oppidi per quietem aliquis obversatus, qui se divinitus missum diceret ad monasterium cui est vocabulum (b) Herolfesfeld, quo et ossa beati viri transferri præcepit. Id memoratus episcopus Lullo Moguntiacensis Ecclesiæ pontifici revelavit; isque rem ad magnum Carolum detulit, ac ejus assensum protinus impetravit. Ita, Lullo jubente, suffraganeus ejus Albuinus tribus monachis præfati cœnobii, Ernusto scilicet, Baturicho, et Wolffo, noctu sacros beati Wigberhti cineres tradidit clam perferendos ad monasterium. Siquidem id facere interdum veritus est, ne tanti viri populus amore devinctus fratres memoratos cæca seditione convexaret, vel quibuslibet injuriis incesseret, viribusque superior sibi tam insignis thesauri privilegium vindicaret. Non quo venerabilis præsul sancto Wigberchto diffideret, qui profecto suas ferentes reliquias tueri poterat intercessione; sed quod perquam scite perpenderit, quanquam manifeste Deus faveret, considerationem humani consilii, utpote justis, nullatenus posthabendam. Plenum est quippe Christianæ devotionis, quandiu habet homo quod faciat, non tentare Dominum Deum suum. Quod si cui hæc exactorari posse videatur assertio, illud ei obverteremus exponendum, cum Israeliticum populum Pharao 309 dimisisset, non duxerit eum Dominus per viam terræ Philisthii; videlicet ne forte pœniteret populum, si videret adversum se bella consurgere. Quem plane locum aliter transire sano nequaquam poterit intellectu, nisi in nostram concedens, imo majorum sententiam, ibi ostendi fateatur fieri debere omnia quæ consilio recto fidei possunt ad evitanda quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissime adjutor est. (Ex August. q. 41 in Exod.)

CAPIT. XXV.

De arca sepulcro ejus imposita.

Ergo præfati fratres munus amplissimum sibi ab episcopo traditum monasterio Herolfesfeldt celeres (c) invexerunt, et a reliquis Dei servis illic exceptum, magnifice primo loco est in ecclesia conditum. Atque Lullus, annuente Magno Carolo, monumentum illius, quo more per Gallias Germaniamque cæterorum sanctorum visuntur, auro et argento

(a) *Albuino præsuli.* Qui et Witta vocatur alio nomine, et Wittana in epistola Zachariæ papæ ad ipsum data, in qua vocatur episcopus *Ecclesiæ Barbaranæ*, Hanc vocem explicat Serarius de Buriburgo, cujus episcopum fuisse ait Albuinum: neque repugno. Ob hoc ergo erat episcopus oppidi Pritislariensis quod Fritislarium esset in diœcesi Buriburgensi ac velut suburbium oppidi Furiburgensis. Sic archiepiscopus Narhonensis dicebatur olim *archiepiscopus Redensis*, quod Redensis pagus situs esset in diœcesi Nurbonensi. Sic Ausonensis episcopus vocabatur *episcopus Manresensis*, quod Minorissa seu Manresa sita esset in diœcesi Ausonensi. Sic Helenensis vocabatur *Rossilionensis*, quod Rossilionis sive Rusci-

A necnon reliquis congruentibus metallis exornandum curavit, et id opus ad Idus Augusti complevit; ubi postea, divina exuberante gratia, magna et admirabilia signa claruere. Ex quibus, cum sint pene innumerabilia, hic pauca quædam subjungam, quorum consideratione metiatur cætera quisquis volet.

310 CAPIT. XXVI.

De curatione Huntheri.

Quidam ægrotus eo usque ut in carruca in morem lecticæ instructa perduceretur ad memoratum cœnobium, ibi meritis beati Confessoris opitulantis; non utcunque revaluit, sed incolumitatem certissimam est adeptus; atque monastico hic habitu sumpto, obeundis cœnobii muneribus nequaquam se impari gavisus est. Huic nomen Huntheri fuit.

CAPIT. XXVII.

De Burgwarto paralytico.

Alius quoque vocabulo Burckwart, viribus propemodum totius corporis destitutus, ante limina sancti Wigberhti non parvo tempore jacuit, et tandem, succurrentibus ejus efficacissimis precibus, plena sospitate donatus est. Namque diu oblito gradiendi officio recepto, etiam Romam oratum perrexit.

CAPIT. XXVIII.

De Sigeberto dæmoniaco.

Sed ne gratiam quidem fugandorum nequam spirituum huic suo probatissimo famulo Dominus 311 denegavit. Hæc enim recenti memoria quidam correptus acerbissimo dæmone, Sigebraht vocabulo, ferreis manicis vinctus, miserabiliter attractus est, et, interventu sancti Wigberhti, inimici violentia liberatus.

CAPIT. XXIX.

De Bertgero dæmoniaco.

Sic alter, Beratgar dictus, et maligno spiritu in belluinam mutatus ex homine rabiem, apud sancti hujus memoriam eadem horribili passione curatus est.

CAPIT. XXX.

De trimoda sanatione Ramnulphi.

Aliquis prætrrea oriundo Aquitanus, cui nomen erat Ramnulpho, ab ineunte mutus ætate, surdusque, et pene ad faciem pecoris in alvum pronus, huc perductus, maximo rarissimoque miraculo affatum repente obstructarumque aurium sortitus apertionem, etiam secundum prærogativam hominis, ad

nonis oppidum ea in diœcesi situm esset, et quia comitatus Ruscionensis constituit maximam partem diœceseos Helenensis. Et sic de cæteris.

(b) *Herolfesfeldt.* Quod postea vocari cœpit Herveldia. Lambertus Schafnaburgensis ad annum 844: « Ludovicus venit ad Herolfesfeldt 11 Kal. Novembris; et privilegia monachis dedit, suoque sigillo munivit. Monachi quoque ejusdem Herveldensis monasterii reconciliati sunt cum Otgario archiepiscopo.

(c) *Invexerunt.* Tempus illius translationis non est adnotatum a Lupo. Browerus tamen eam contigisse putat haud multo post Saxonum incursiones, id est circa annum 780.

intendum cœlum erectus est. Ita triplici enim hac A debilitate conflictatus, totidem se humani usus compendia subito meruisse miratus est.

312 CONCLUSIO OPERIS.

Hæc inchoata, ut voluistis, quam absoluta oratione direxi; qua neque commentitium aliquid ex-

trinsecus addidi, et quæ vestra solertia jussit inserenda servato tramite veritatis expressi. Quæ beatus confessor Christi Wigberchtus utinam pio prosequatur favore: ac vobis, qui ministratis materiam, una mecum, qui hanc in aliquam redegi formam, intercessionis vicem compensare dignetur.

B. SERVATI LUPI

FERRARIENSIS ABBATIS

HOMILIÆ DUÆ IN SOLEMNITATE S. WIGBERTI

313 HOMILIA PRIMA (a).

Gaudete et exsultate in Domino, dilectissimi fratres, qui devotis mentibus ad solemnia sancti Wigberti convenistis; et Dominum Jesum Christum multimodis devotissime collaudate, qui nunquam derelinquit sperantes in se, sed misericorditer nobis in hoc miserissimo mundi ergastulo constitutis patromos pro nobis laudabiles ad intercedendum procuravit; quatenus per hos Christianæ religionis imbuti, ferculisve satiati cœlestibus, spem cœlestium præmiorum jam habere possimus, si illuc corde et opere sequamur. Ipse quoque Dominus noster Jesus Christus, omniumque creator sanctus, omnes sanctos condidit; et nullus unquam per se fit sanctus absque Dei larga providentia. Ideo quippe, sicut in sacris legimus Scripturis (*Luc. 11*), ab Abel protomartyre usque nunc glorificat sanctos et electos suos salutiferis in hoc mundo miraculis, qui mundialibus non fuerunt comprehensi illecebris; sed omni quidem conamine mentis et 314 corporis recte cogitando, atque ab omni iniquitate se continendo, diabolicis efficacissime resistebant suggestionibus. Quapropter divina exuberante gratia consortes et hæredes sunt angelicis in cœlo sedibus, ubi nil ulterius desiderare queant, sed Domini Jesu Christi insatiabiliter visione ac consortio supernorum civium perfruantur. Et ideo, fratres charissimi, assumamus nobis divino suffragio arma et exempla illorum, qui per imaginabilem Dei adjuvamine fidem vicerunt regna transitoria, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones; et, sicut namque Dominus Jesus Christus veridica in Evangelio voce prædixit: *Sic luceat lux vestra corum hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth. v*). Paulus sane egregius prædicator præmonuit ita

(a) Homilias istas debemus Joanni Busæo, presbytero e societate Jesu, qui eas anno 1604 Moguntiæ edidit in libro Paralipomenon. Lupi autem esse non aliunde constat quam ex conjectura ejusdem Busæi, qui ea de causa eas Lupo adjudicavit quod in codice Dominicanorum Moguntinensium Vitæ sancti Wigberti adjunctæ essent. Nos, tametsi nihil certi statuere poteramus, eas tamen hic desiderari nolimus, ut neque hymnos duos in festivitate ejusdem sancti. En

B dicens: *Non habemus hic manentem in cœnoso mundo civitatem, sed futuram bonis operibus inquirimus* (*Hebr. XIII*). Quamobrem namque oportet vobis, qui sincerissimam apostolorum fidem tenetis, ut in omnibus sagaci atque infatigabili mente, quantum quiveritis, illos imitari studeatis. Quæ, sicut legimus in sacris paginulis, tanto accensi fuerunt apostoli amore Christi ut nec ullo modo tormentis, vel minis regum, nec non etiam persecutionibus infidelium ab illo possent evelli, sed firma fide et opere vel indissolubili charitate unanimiter perseverarent, donec divina ab hoc mundo vocatione cœlestia scandere meruerunt. Quid enim dicimus de virginibus? quia humanis non sufficit ingeniis de illis aliquid pro fragilitate carnis condignum scribere vel imitari, quibus fuit una fides, immutabilis amor, charitas una; eratque 315 illis virginitas carnis, corpus intactum; virginitas animæ, fides incorrupta. Et ideo vero, quia fuerunt piis in Christo Domino studiis adornatæ, virtutum palmas coronasque dignis acceperunt in cœlo præmiis. De martyribus quoque quid dicendum est? qui panniculis despectisque vestibus corpora ad tormenta tradiderunt terrestria, quatenus Deum dominatorem omnium habere et cum illo æternaliter regnare mererentur, respuerunt florigeros hujus mundi flores cum fallacibus curis quæ homines commentis suis ludificant, totisque viribus Dominum Christum dilexerunt, et propter hoc in cœlestibus thalamis regnant. De confessoribus, ex quorum collegio iste Dei famulus est, vel etiam omnibus sanctis legimus in divinis historiis omnes cum diversis ab hujus mundi calle tribulationibus cœlestia scandere; de quorum scilicet omnium sanctissima vita aliquid nobis imitandum est, in quantum humana suppetit fragilitas; quia ad imaginem Dei facti su-

ipsius Busæi verba: « Quoniam ante biennium cum Hincmari epistolis edita est Vita sancti Wigberti, quondam sancti Bonifacii, archiepiscopi Moguntini, socii, auctore Lupo Servato nunc placuit hymnos duos ac item homilias duas in ejusdem laudem ab eodem auctore, ut apparet, conscriptas addere, quas in vetustissimo ms. codice Dominicanorum Patrum in hac urbe Moguntina degentium Vitæ sancti Wigberti adjunctas invenimus. »